





177.

29
/

CONCLUSIONES GENE-
RALES

DE ACTIONIBVS.

1672 6.

QUAS

DEO PROPITIO.

Et

PRÆSIDE D. JUSTO MEJERO
Viro Clarissimo & Consultissimo, J. U. D. Di-
gnissimo, Celeberrimo Antecessore, Præceptore
& Fautore suo multis nominibus
Observando.

IN INCLYTA ACADEMIA PATRIA
*publici exercitii causa V. Calend. Novemb. Anno
clō. lco. xii. discutiendas proponit, &
defendere conatur.*

GEORGIUS GOLIUS Argentoratensis,
LL. Stud.

ARGENTORATI.

Excudebat CONRADUS SCHER.

ANNO M. DC. XII.



771

GENERE CLARO,
VIRTUTE POLITICA, SO-
LIDA ERUDITIONE, LONGO,
que rerum usu Præstantissimis
Viris.

D. GEORGIO Fetzich/Viro Amplissimo.

D. THEOBALDO Fetzich/ Med. Doct. Experientissimo,
Wormatiensium Archiatro Spectatissimo.

D. JOHANNI JACOBO Niepp/ J. U. D. Con-
sultissimo.

D. JACOBO Weinheim/ XV. virorum Reip. Argenti-
nensis à Secretis, Viro Disertissimo.

Ayunculo, Cognato, Affinibus, Patronis. & Fautoribus
suis, omni observantiæ genere perpetuo colendis,

Hanc suam de Actionibus dispu-
tationem

grato & officioso animo.
Off. & D.

GEORGIUS GOLLIUS
Respondens.

INSTITVTI RATIO.



Vm diffusa satis & admodum intricata, nec minus frequens & u-
sitata, ac præstans & utilis, tam in foro quam in Schola sit Actio-
num materia, pro ut Experientia rerum Magistra id abundè te-
statur: Antequam ex Patriis laribus discedam, placuit earum na-
turam publicâ disputatione indagandam, valedictionis gratia
ὡς τὸ πρῶτον proponere: propterea quod veritas sæpius exagitata ma-
gis splendescat in luce. c. 38. q. 9. c. 7. Quod ipsum, ut in præsentî negotio nobis
quoque contingat, quin Summus ille Actio-num Gubernator, in Vnitate Trinus
& Vnus in Trinitate, divinâ suâ clementiâ sit adiuturus, precibus innixi non est
quod dubitemus.

T H E S I S I.



RINCIPIO ergo plerasque actiones exceptis quibus-
dam. (a) ex Jure Gentium quidem ortas, (b) omnes
verò ex Jure Civili formatas & comprobatas esse (c) sta-
tuimus.

(a) L. 5. ff. de l. & l. cujusmodi est actio quæ datur ex stipulatu, & literarum
obligatione, *Inst. de lit. obl. & §. 9. Inst. de Act. quæque specialiter à Lege vel Præ-
tere, introducta est* (b) quia ipsarum causa, obligatio scilicet est Jurisgen-
tium d. l. 5. ff. de l. & l. 7. pr. & §. 1. ff. de Paet. l. 1. §. 2. ff. de Cont. Empt. l. 1. ff. Loc. Cond.
l. 25. ff. de Act. rer. amot. §. 2. *Inst. de I. N. G. & C.* Præterea nulla est Resp. quæ actio-
num remedio carere possit: Imò ipse Deus, antequam ulla fuisset politia, con-
tra primos Parentes nostros, statim post lapsum actiones instituit, dum inquit,
Adam quid fecisti? ut & contra Cain, cum ait, Cain ubi est frater tuus? (c) per
d. l. 7. §. 2. ff. de Paet. & l. 17. §. 3. ff. Commod. quatenus videlicet certa libelli disposi-
tio & causæ disceptatio jure civili introducta, & alia actionum formula quam
apud veteres fuit, hodierno more recepta est.

I I.

Indicatâ Actionis origine, definitur ea (a) jus (b) perse-
quendi (c) in judicio (d) quod sibi debetur. (e) Quæ tanquam
perfecta & essentialis definitio tam ad reales (f) quam persona-
les, tam ad extraordinarias (g) & criminales, (h) quam civiles,
adeoque cunctas in genere actiones (i) omnimodo sese extende-
re nobis videtur.

(a) pr. *Inst. de Act. L. 51. ff. de Obl. & Act.* (b) id est agendi facultas, L. 1. ff. de
eo quod cert. loc. dar. oport. L. 1. §. 4. ff. ad SC. Treb. à jure scilicet concessa; non for-

mula, quæ actionis tantum est declaratio, (e) quod in genere accipiendum
 de quacunque persecutione, sive rem sive personam persequamur secundum
 §. 16. *Inst. de Act.* (d) hoc itidem generatim usurpandum, ita ut non iudicibus
 tantum pedaneis, sed majoribus etiam Magistratibus competat, ut *usurpatur in*
L. 2. §. ult. ff. de Iudic. (e) id est omne jus suum, quod sibi debetur tam dari
 quam restitui; omnes enim, qui jus aliquod habent, si ab adversario prohi-
 beantur eo uti frui, sibi jus illud deberi, & vel dari vel restitui oportere dicunt,
 & idcirco illud iudicio persequuntur, ut uti frui suo jure libere possint (f) non
 enim aliter in actionibus in personam res deberi dicitur, quam quod is, qui il-
 lam debet, vel dare vel restituere eam debeat; cum igitur & in actionibus in
 rem restitui res debeat, utique rectè qui agit actione in rem, idem etiam dice-
 tur persequi id, quod sibi debetur, maximè cum obligationis verbum actio-
 nem tam in rem, quam in personam contineat, §. 5. *Inst. de Except.* (g) quæ
 quidem persecutionis verbo in specie continentur; sub generali tamen actio-
 nis significatione etiam comprehenduntur, *L. 178. §. 2. ff. de V. S.* (h) utpote
 quæ publicam vindictam persequuntur, & cuius ex Pop. dantur §. 1. *Instit. de*
Publ. Iud. imò etiam actionis verbo notantur *L. 15. §. 3. ff. ad SC. Turp. L. unic. C.*
quand. civil. act. crim. præiud. Præterea persequitur iis actor etiam id, quod sibi
 debetur, vel quod eius interest, *L. 5. §. 5. ff. de his qui effud. vel deiec.* (i) quia ver-
 bum debuit omnem omninò actionem comprehendere intelligitur. *d. L. 178.*
§. 3. ff. de V. S.

I I I.

Propositâ Actionis definitione ad ejus divisiones progredien-
 dum erit, quarum variæ à variis causarum generibus sumi pos-
 sunt: Prima à causa Efficiente desumpta videtur, (a) Aliæ enim
 Actiones sunt Civiles, (b) Aliæ Prætorix sive Honorariæ, (c) ad
 quas etiam eas, quæ ex statutis Ducum, Marchionum, Comitum,
 Baronum &c. descendunt, referendas (d) concludimus.

(a) *L. 3. §. 1. ff. Naut. Caup. Stab. L. 1. §. 1. ff. de Publ. in rem act. L. 25. §. ult. L. 42. §. 1.*
ff. de Obl. & Act. §. 3. Inst. de Act. pr. Inst. de perpet. & temp. act. (b) cujusmodi est
 actio mandati, commodati, mutui, depositi, & si quæ sunt similes aliæ, quæ ex
 Legibus, Plebiscitis, Senatusconsultis, Decretis Principum, & Autoritate Pru-
 dentum veniunt, *L. 7. pr. ff. de I. & I.* ita ut includamus & eas, quæ origine sunt
 juris gentium, & à jure civili simpliciter approbatæ (c) quales sunt Actio Pu-
 bliciana, Pauliana, Rescissoria, Serviana, & id genus aliæ, quas Prætores vel Æ-
 diles Curules adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi juris civilis gratia pro-
 pter utilitatem publicam introduxerunt *d. L. 7. §. 1. & ex sua jurisdictione non*
in rem tantum sed & in personam comparatas habent. d. §. 3. Inst. de Act. (d)
 Adhibitâ distinctione quâdam. Nam qui Superiorem non agnoscunt (ut sunt om-
 nes Imperii nostri Governatores, excepto unico Imperatore,) ex illorum
 statutis oriuntur actiones honorariæ, quia illi Præsidis tantum loco habentur,
 Qui vero Superiorem non agnoscunt, (ut sunt Rex Gallix, Angliæ, Hispaniæ &
 alii,) ex eorum statutis descendunt actiones civiles, quia non Præsidis tantum,
 sed & Principis loco æstimantur, *Barr. in L. 1. §. de quo autem 10. ff. de Post.*

I V. Sc-

Secunda à causa materiali, quâ (a) quasdam esse Reales, (b) quasdam Personales, (c) quasdam Mixtas, (d) ex communi Dd. Schola apparet.

(a) L. 25 pr. L. 37. ff. de Obl. & Act. L. 177. §. 2. ff. de V. S. L. 7. C. de Petit. hered. L. 9. C. de hered. vel act. vend. §. 1. & 20. Inst. de Act. (b) per quas rem nostram, quæ ab alio possidetur petimus, d. l. 25. pr. ff. de Obl. & Act. unde rectè realis actio in specie petitio vocatur, d. l. 178. §. 2. ff. de V. S. & frequentius vindicatio, §. 15. Inst. de Act. Sciendum autem quod in rem actio alia sit Rei vindicatio, quâ jure domini vindicantur res corporales, alia in specie vindicatio, quâ vindicantur tum res corporales, quæ in dominio nostro nō sunt, tum res incorporales, cuius duo sunt præcipua genera; vel enim vindicatur servitus, quod fit actione confessoria, vel libertas, quod negatoria actione perficitur. Et quia in his actionibus frequens est possessionis consideratio, quò interdicta referuntur, quæ non raro quoque actionis verbo continentur, L. 37. ff. de Obl. & Act. ideo petitorium & possessorium iudicium in uno libello cumulari posse, non absque ratione hic asseremus. L. 11. ff. de Jurisdic. L. 18. §. 1. ff. de vi & vi arm. L. 13. C. de R. V. L. 3. C. de Interd. (c) per quas conveniendi debitores iudicio facultatem habemus, L. 6. §. ult. ff. de Negot. gest. vel quibus agimus cum eo qui obligatus est nobis vel ex contractu vel ex maleficio, §. 1. Inst. de Act. ad faciendum aliquid vel dandum, d. l. 25. pr. ff. de Obl. & Act. Idque vel ex contractu nostro, ut est actio empti, venditi, locati, conducti, & alia similes, vel ex contractu aliorum, ut actio quod iussu, de in rem verso, Exercitoria, Institoria, & id genus alia. vel ex maleficio nostro, ut actio de albo corrupto, de in jus vocando, actio doli, quod metus causa, (inferre enim vim & metum est delinquere) & alia innumerabiles; vel ex maleficio aliorum quales sunt actiones noxales, quæ descendunt partim ex delictis servorum, L. 1. ff. de Nox. Act. pr. Inst. eod. partim ex quasi delictis quadrupedum, L. 1. pr. ff. si quadrup. paup. feciss. dic. pr. Inst. eod. Et quamvis Imp. in d. §. 1. nullam quasi contractuum vel quasi maleficiorum mentionem faciat, tamen & actiones ex ijs descendentes etiam in personales cadere certū est, propterea quod generalibus specialia insint, L. 147. ff. de R. J. & illud ipse Imp. in d. §. per verba (& alijs quibusdam modis) innuere videatur, (d) quæ mixtam causam obtinent, & tam in rem quam in personam directæ sunt, §. 20. hist. de Act. qualis est petitio hæreditatis, actio familiaris eriscundæ, communi dividundæ, & finium regundorum habere autem has actiones mixtam causam ex eo apparet, quod iis agamus ad id quod nostrum est, & nobis debetur, Jas. ad §. omnium 1. Inst. de Act. ut evincitur ex L. 25. §. 18. ff. de hered. per. L. 1. ff. fin. regund. §. 4. 5. & 6. Inst. de offic. iud.

V.

Tertia à causa formali quâ (a) Actiones vel bonæ fidei, (b) vel stricti juris, (c) vel Arbitrarias esse (d) communiter Interpretes volunt.

(a) L. 5. pr. & §. 4. ff. de in lit. iurand. L. 5. & 7. ff. de eo quod cert. loc. dar. oport. L. 3. §. 2. ff. commod. L. 3. §. 1. ff. de usur. §. 28. & 31. Inst. de Act. (b) quibus præter conven-

tionis legem essentialiter & suam naturam bona fides inest, ut eius gratia quid ex bono & æquo præstetur. Bona fides autem quæ in hisce contractibus exigitur, æquitatem summam desiderat, L. 31. ff. de pos. & efficit, ut iudicis officium in iis tantum valeat, quantum in stricti juris contractibus nominata rei conventio, L. 7. ff. de Neg. gest. Solet hic à Dd. controversi, num omnia bonæ fidei iudicia? in §. actionum 28. Inst. de Act. ab Imp. enumerata sint, an verò plura extent? Sed plura mihi admittenda esse non videtur; Idque propterea, quod Imp. ibi dicat, bonæ fidei sunt hæc, *opis scil. & definitive*. Interim tamen enumerata illa omnia ita accipienda puto, ut non tantum directæ, sed ex iisdem causis contraria intelligantur (c) quibus Iudex & litigatores ad formulam præscriptam certæ rei aut quantitatis adstringuntur, nam quicquid harum actionum est, id nisi palam verbis exprimitur, omissum intelligendum est. L. 99. ff. de V. O. Sunt qui differentiam inter iudicia bonæ fidei & stricti juris sublatam esse jure civili volunt, sed illud satis refutat d. §. 28. Quod autem alij urgent, eam jure tamen canonico sublatam esse, id negare videtur. c. 6. v. ad hæc. de Except. Interim tamen hoc concedimus, quod contractus stricti juris per usitatam clausulam adjectam, (*alles trewlich vnd ohn alle gefehrde*) transformentur quodammodo in bonæ fidei contractus, & multò magis illud alterum, quod scil. oppositâ doli exceptione fiant bonæ fidei. Est enim tã lata potestas iudicis de doli exceptione judicantis, quã lata est potestas iudicis ex bona fide judicantis, ita ut per objectam doli exceptionem omnes stricti juris actiones (quod officium iudicis attinet) transformentur in bonæ fidei actiones. (d) quæ arbitrio iudicis ex bono & æquo propter probabiles causas expendantur secundum §. 31. Inst. de Act. His enim actionibus satis fit actori, non quidem ex stricti juris formula, ut fit in stricti juris iudicij, non etiam ex arbitrio iudicis libero, quemadmodum in bonæ fidei iudiciis, sed ex arbitrio conditione quãdam, secundum rei naturam, de qua actum est, coarctato. Jas. in §. præterea 31. Inst. de Act. n. l. 19. 31. & 49.

VI.

Quarta à causa finali, quâ (a) Actiones solent in rei persecutorias, (b) pœnales, (c) & mixtas, (d) à Jureconsultis dividi.

(a) L. 35 & 50. ff. de Obl. & Act. §. 16. Inst. de Act. (b) quibus persequimur id, quod ex patrimonio vel bonis nostris nobis abest, & ereo adest, d. l. 35. pr. ff. de Obl. & Act. quales sunt omnes in rem actiones, & ex personales quæ ex contractu vel quasi nascuntur, illæque ferè omnes §. 17. Inst. de Act. non autem reliquæ, quæ ex maleficio vel quasi descendunt. Ad has rei persecutorias actiones referendas putamus etiam illas, quibus merum lucrum persequimur, quia tunc ipsam rem vel pecuniam, quæ quasi nostra ab alijs nobis relicta est, dare rei compelluntur. §. 19. Inst. de Act. (c) quibus ad vindictam agimus, & pœnam persequimur ab eo, cui nihil ex nostris bonis adest, quales sunt actiones tantum personales, & ex solum, quæ ex delictis vel quasi proveniunt, nec tamen omnes illæ, verum ex saltem, quæ meram pœnam persequuntur, ubi tamen pœna saltem legalis non etiam conventionalis intelligenda videtur, Nam huius pœna persecutionem ad rei persecutorias pertinere docet, L. 68. ff. de V. Obl. §. ult. Inst. eod. propterea quod conditionalis pœna res sit, & vice rei, id est, eius quod interest, debeat, L. 38. §. 17. ff. de V. Obl. L. ult. ff. de Prætor. stipul. (d) quæ tam
rei

rei quam pœnæ persecutionem persequuntur, qualis ex omnibus actionibus ex contractu vel quasi natis est actio de legato locis venerabilibus relicto, §. 19. v. Item mista. Inst. de Act. & actio depositi in quatuor istis speciebus de quibus agit. d. §. 17. Inst. de Act. & omnes personales actiones ex maleficio vel quasi ortæ, quæ tam rei, quam pœnæ persecutionem habent. §. 18. Inst. de Act.

VII.

Quinta ab Effectu quâ Actiones sunt. (a) quibus persequimur aut totum solidum. (b) aut id tantum, quod reus facere potest (c) Et hæ sunt præcipuæ actionum divisiones; licet autem & aliæ plures restent. (d) tamen omnes eas minus principales esse ducimus.

(a) §. 36. 37. 38. 39 & 40. Inst. de Act. (b) quales sunt eæ, quibus quis integrum debitum consequitur, sicuti realiter fit in omnibus realibus & personalibus. (c) cuiusmodi sunt illæ, quibus non integra summa, quæ petitur aut debetur, sed id tantum, quod facultates personarum certis privilegiis munitarum ferre possunt, restituitur, idq; propterea, ne ipsæ postea egeant, iuxta L. 173. ff. de R. J. quemadmodum fit in actione de peculio filij, servique, d. §. 36. Item si de dote in iudicio mulier agat, d. §. 37. Si tamen gener cum socero ex promissione dotis soluto matrimonio agit, socer simpliciter in solidum, non in id tantum quod potest, damnandus est, L. 21. & 22. pr. ff. de re iudic. Sed & si quis cum parente suo patronovè agat, item cum socius cum socio iudicio societatis agat, non plus actor consequitur quam adversarius eius facere potest. d. §. 38. Hinc quæritur, An frater à frater conventus hoc beneficio frui possit? Nobis affirmantiū arridet opinio propter L. 17. ff. de re iudic. quæ liberis non tantum à Parentibus, sed etiam à seipsis, hoc est, à fratribus conventis accommodanda videtur. Et si sociis hoc beneficium conceditur propterea quod fratrum loco habentur, L. 63. ff. pro soc. multò magis id ipsis fratribus concedendum erit. Hæc occasione ulterius de fratribus indagandum erit, num scil. frater fratri de sumptibus vivis parentibus studiorum gratia utiliter factis teneatur? & an isti sumptus in hæreditatis divisione in collationem veniant? Nos negativam sententiam sanioerem esse firmis motivationibus strenuè certamus; Coguntur enim Parentes naturali æquitate liberos suos alere & instituere, L. 5. ff. de Agnosce. & alend. lib. cum L. 43. ff. de V. S. amò necare eos videntur si ipsis alimenta denegant. L. 4. ff. de agnosce. & alend. lib. Idem est si quis ex donatione & compensatione conveniatur, d. §. 39. & si creditor cum eo agat, qui bonis cessit, d. §. 40. Quod si verò debitor huic beneficio renunciavit, & pactus est cum creditore suo, se bonis non cessurum in totum damnandus erit. Militi quoq; qui sub armata militia stipendia meruit, hoc beneficium competere docet Vlp. L. 9. pr. l. 18. ff. de re iud. Advocatos verò, Antecessores, Doctores, & Clericos huius privilegij participes non esse ex eo apparet, quod dictæ LL. expressè loquantur saltem de militia armata; est enim unius inclusio alterius exclusio. (d) Primò enim §. 21. Inst. de Act. dicuntur Actiones vel in simplum conceptæ, vel in duplum vel in triplum, vel in quadruplum, ulterius autem nulla actio extenditur, nisi quod Lege Mosaiica furtum bovis quintuplo punitur, Exod. 22. v. 1. Deinde sunt quædam Populares seu Criminales, quædam Privatae siye Civiles. L. 42. pr. ff. de Procur. & defens. & tot. in ff. de Pap. Act. Tertio pariunt quædam infamiam, quædam non pariunt. L. 36. ff. de Obl. & Act. §. Inst. de pan. tem. litig. Sunt & aliæ multæ Actionum divisiones, quas brevitatatis causa omisimus.

VIII. Equ-

VIII.

Enumeratis Actionis divisionibus, partes libelli, quo actio proponitur, inquirendæ erunt; harum sunt tres, (a) Propositio maior, (b) Propositio minor, (c) & Conclusio, (d) Quæ in libello ita sunt disponendæ & tractandæ, ut tota actio non iudici saltem, sed & reo (e) edatur.

(a) Accessoria verò sunt Compellatio iudicis, Actionum pluriùm cumulatìo, expensarũ judicialium restituendarum petitio, conclusionis clausularum adjectio, & similia, (b) quæ est aliqua juris regula continens fundamentũ assumptionis, (c) quæ est specialis facti de quo agitur narratio, hæc ita deducenda, ut concludendi medium appareat, *Bart. in L. certi conditio. 9. n. 2. ff. de reb. cred. & in l. si post. 2. C. de Petit. hered.* Narrationem istã vocat Paulus causam, *L. 13. §. 2. ff. de Except. rei iud. quæ si fuerit inepta, totus libellus ipso iure nullus erit. Bart. in l. Edita. 3. n. 1. C. de Edend. per L. palam. 2. §. circa. §. ff. de dol. mal. & metus excep. Jas. in §. omnium. 1. n. 116. & 117. Inst. de Act.* (d) quæ est maximè necessãria, propterea quod iudex officium suum, non nisi imploratum interponat, *L. 4. §. 8. ff. de damn. infect. L. 18. ff. com. divid.* Semper enim in omni libello ad conclusionem attendendum, quia hæc totam actionem ampliat, restringit, moderatur. *Bart. in L. Aurelius 48. §. Stich. 7. ff. de Liberat. Legat. Innoc. in cap. super literis de rescript. Jas. post Angelum, in §. omnium. 1. n. 127. Inst. de Act.* Sunt tamen aliquot casus, in quibus illa ad eò necessaria non est, quos notat *Schneid. ad d. §. omnium. 1. n. 114.* Vnde non immeritò quæritur, num illa in actione criminali requiratur? ubi variant *Dd.* Videmus tamen, quod in ea conclusio plerunque apponi soleat, quamvis illa necessariò non desideretur, propterea quod in criminalibus nihil dari, nihilque fieri parti peratur, sed simpliciter narrationem facti pœna vel ex Lege, vel ex statuto, vel ex arbitrio iudicis consequatur: quando verò pœna partim fisco, partim parti applicatur, tum prosequens actor pœnam pro sua parte ad eisdem condemnationem in libello quoque concludere debet (e) quo uterque jus & intentionem actoris intelligat, & speciem ac formam futuræ litis cognoscat, quam edita actio demonstrare debet. *L. 3. C. de Edendo.*

IX.

Actionis editionem sequitur citatio, (a) ad quam concipiendam sex requiruntur (b) nomen scil & cognomen iudicis citantis, nomen & cognomen citati, (c) nomen & cognomen illius qui citationem impetravit & causa ob quam & ad quam citatio fit, (d) locus & tempus, quò citatus comparere debet. (e) Ad huius expeditionem pertinent hæc tria (f) commissio videlicet iudicis, (g) citationis executio, (h) & decreta atque insinuata de citatione relatio, (i) quibus omnibus nisi constet citatio tota invalida (k) erit.

(a) Quæ

181

(a) Quæ est autoritate Magistratus ad ipsum, qui jus vocandi habet, facta vocatio : Estque vel judicialis vel Extrajudicialis, Judicialis vel simplex est, vel peremptoria, & iterum vel privata vel publica ; Privata est vel verbalis, quæ fit aut voce aut scripto, vel realis, quæ manus injectione perficitur. Publica fit vel per edictum vel per proclama. *Vult. lib. 2. c. 28.* (b) *Gail. 1. observat. 48. & aliquot seqq. Mynsing. 5. observ. 85.* (c) Et si plures fuerint, omnia illorum nomina & cognomina significanda erunt. *Gail. 1. observat. 49. Mynsing. 5. observat. 50.* (d) Ad unam tamen causam citatus si compareat, ad aliam etiam, ad quam citatus non est respondere cogitur, *Vult. dict. c. 28. Gail. 1. observat. 51. num. 7.* (e) si verò citans iudex delegatus est, requiritur & hoc ut tenorem suæ commissionis citationi inserat, *c. 31. de offic. & potest. iudic. deleg. c. 2. de dilat. Gail. 1. observat. 48. num. 17. & seq. Mynsing. 3. observat. 1.* (f) de quibus *Mynsing. 1. observat. 77. & 6. observat. 10. Vult. dict. c. 28.* (g) Quæ fit nuncio sive cursori iudicii, aut pro occasione notario, & quidem in Camera Imp. notario tantum immatriculato, iuxta *ord. Cam. p. 1. t. 39.* nec facta præsumitur, sed eam factam esse asserenti probandum est, *Mynsing. d. observ. 10. num. 4. Gail. 1. observ. 54.* nisi consuetudine aliud receptum sit, *Mynsing. d. observ. 10. num. 5.* (h) quæ ei facienda est qui vocatur, *Gail. 1. observat. 49. & 54. Mynsing. 1. observ. 77. & 2. observ. 69. & 3. observ. 37. & 5. observat. 51.* (i) cui executoris relationi creditur, *Vult. d. c. 28. Mynsing. 6. observat. 10. n. 7.* (k) nec ullum contumaciæ effectum producit, *Mynsing. 2. observ. 18. Gail. 1. observ. 48. num. 3. Vult. d. c. 28.* per comparitionem tamen citati convalidatur, ut de citationis invaliditate aut illegimitate excipi amplius non possit. *Gail. 1. obs. 58. n. 1. & 2. Myns. d. obs. 18. & 3. obs. 90. item 4. obs. 54. Vult. d. c. 28.*

X.

Factâ citatione ad ipsum iudicium pedem promovebimus, quod à litis contestatione incipit, (a) Hæc autem fit vel expressè, (b) vel tacitè, (c) vel purè (d) vel eventualiter, (e) & effectus complures habet ; Per illam enim fundatur iudicium, (f) via opponendi exceptiones dilatorias præcluditur, (g) actio sua natura temporalis perpetuatur, (h) adversarius in mala fide & mora constituitur, (i) præscriptio interrumpitur, (k) libelli mutatio impeditur (l) & conditio auctoris redditur melior, (m) nunquam deterior.

(a) Quæ est iudicij constitutio facta affirmatione unius, & contradictione alterius litigantis. *c. unic. de lit. contest. l. 2. c. de iureiur. propt. calumn. dand. Vult. lib. 2. c. 31.* Quod si verò reus disertè protestetur, se quidem negare, non tamen animo litem negativè contestandi contradicere, lis contestata non videtur. *Mynsing. 3. observat. 31. & 74. & 4. observ. 49.* (b) his verbis. Nego narrata prout narrantur, & dico secundum petita fieri non debere, petens ab instantia absolutionem, & adversarij in expensas condemnationem, *Ord. Cam. p. 3. t. 13. §. und nach dem.* (c) quando reus simpliciter diffitetur contenta libelli *gl. in c. unic. de lit. contest. Myns. 4. obs. 62. Gail. 1. obs. 73. num. 1. & 4.* (d) hoc est, simpliciter

B

181
& non reservato alio, de quo prius disceptari oportet. *Vult. d. c. 31.* (e) hoc est, non nisi quæ ad impediendam illam sunt proposita, locum non habent. *Vult. d. c. 31.* Notandum hic, quod omnis lites contestatio vel in scriptis fiat vel ore. *d. c. 31.* (f) *Myns. 1. obs. 1. & 3. obs. 74.* (g) cum sub prætextu novorum instrumentorum lites non debeant instaurari, *c. 22. de sent. & re iud.* (h) *Dd in L. si eum. 10. §. qui iniuriarum. 2. si quis eum in iudic. & L. ordinata. 24. ff. de libera. caus.* (i) quantum ad fructus attinet, *L. 22. C. d. R. V.* (k) *L. 26. C. eod. Gail. 1. obs. 74. n. 22.* (l) *Dd in L. Edita 3. C. de Edend. Gail. 1. obs. 74. n. 4.* non autem emendatio; hæc enim fit absq; alteratione substantiæ, mutatio verò non æquè, *Bari. add. l. edita. 3. Angel. ad §. sin minus. 34. Inst. de Act. n. 1. & Jas in fin. n. 9.* attamen ante litem contestatam ipsa etiam mutatio permittitur, *d. l. Edita 3. Dd in L. non potest. 23. ff. de Judic. & L. in delictis. 4. §. si detracta. 3. ff. de Noxal. Act.* Imò tota Actio partium consensu semper remitti potest, modo parti à parte remittatur, *L. 29. C. de pact. non autem à iudice,* nisi breves sint lites, & vilium personarum causarumve, & nisi Episcopus cognoscat inter subditos suos. *Auth. nisi. C. de sent. ex peric. recitand. (m) L. 8. ff. de compens. L. 86. ff. de R. J.*

X I.

Finitur autem iudicium sententiâ, (a) quæ est rei controversæ pronuntiatione iudicis in scriptis (b) de re certa (c) facta decisio, (d) libello oblato conformis, [e] & æquitati potius quam stricto juri conveniens, [f] rei que conventi condemnationem, vel absolutionem, aut si plura & diversa capitula in actionem deducta sint, utramque distinctim [g] continens.

(a) *Vult. lib. 2. c. 31.* (b) *L. 1. & 2. C. de sent. ex peric. recit.* (c) vel verbis vel per relationem pro rei & causæ natura expressa. *L. 6. ff. de Reb. Cred. L. 1. §. 1. L. 59. ff. de re iudic. tot. tit. C. de sent. que sine cert. quanti. praf.* Cum verò certum & incertum esse facti magis quam juris sit quæstio, & proinde in universum definiri non possit *L. 32. pr. ff. de usur.* Idcirco curare debet iudex ut omninò, quantum possibile ei sit, certæ pecuniæ vel rei sententiam ferat, etiamsi de incerta quantitate apud eum actum sit. *§ 32. Inst. de Act.* (d) *L. 19. §. 1. ff. de recept. qui arb. recep. Vult. d. c. 31.* (e) *L. 61. ff. de Iudic. L. 18. ff. Com. divid. L. ult. C. de fideicom. libert. Gail. 1. obs. 66. n. 1. Myns. 4. obs. 81.* (f) *propter L. 8. C. de Iudic.* (g) *L. 21. pr. §. 3. & 6. ff. de Recept. L. 1. ff. de re iudic. l. 3. C. de sent. & Interloc. Gail. 1. obs. 2. n. 6.*

X I I.

Hæc sententiâ vel acquiescunt utrinque litigantes, [a] & tum executioni [b] quam primum [c] mandatur; vel non acquiescunt sed impugnant eam aut appellatione, [d] aut supplicatione, [e] aut restitutione in integrum, [f] aut viâ nullitatis; [g] Reductione verò ad arbitrium boni viri [h] annihilant laudum arbitratoris.

(a) Idque

(a) Idque vel expresse, si verbis expressis eam acceptant & approbant, vel tacite, si is contra quem sententia lata est, tempus appellationis aut impugnationis legitimum elabi patitur, aut res minor est, quam ut ad superius iudicium devolvi possit. *Vult. lib. 2. ca. 32.* (b) quæ est rei iudicatæ consummatio; Res autem iudicata est lis finita, impugnatione sententiæ latæ non suspensa. *Vult. d. c. 32.* Hæc executio est maximè necessaria, nisi enim quod iudicatum est executioni mandaretur frustra iudicia essent instituta, frustra quoque sententiæ ferrentur, *L. 15. pr. & §. 1 ff. de re iud. L. 2 & 8. C. de Except. rei iudic. Gail. 1. obs. 113. n. 1 & 2. Idem de pace publ. obs. 17. n. 1. & de Arrest. c. 11. n. 5. Myns. 3. obs. 68.* (c) Nisi exceptiones executionem impediens obijciantur, quas notat *Gail. d. obs. 113. n. 5. & seq. Myns. 3. obs. 69.* (d) quæ est à iudice inferiori ad superiorem à sententia lata provocatio, sententiæ latæ iniquitatem arguens *Vult. lib. 2. c. 33.* Licet autem appellare intra decennium à die latæ sententiæ, *Gail. 1. obs. 139. n. 5. Myns. 2. obs. 2. & 3. obs. 11. item 5. obs. 95.* vel scientiæ eius contra quem sententia lata est *Gail. d. obs. 139. n. 7. Myns. d. obs. 2.* à quocunque iudice, sive ordinarius ille sit, sive delegatus, excepto unico Præfecto Prætorio, à quo supplicare quidem non autem appellare licet *L. unic. §. 1 ff. de offic. præfect. prætor.* (e) quæ est ab eo à quo appellari nequit propter iudicis excellentiam, à sententia lata facta provocatio, per *L. 5. & a. ubi. seq. l. de prec. Imp. offer. L. unic. C. de sent. præfect. prætor.* quæ ita est legitima, sed est & alia quædam supplicatio ex usu consuetudinaria, qua fit à iudice male informato ad informandum melius, atque ita ab eodem ad eundem. *Vult. d. c. 33.* (f) Hæc adversus quamvis sententiam intra quadriennium à tempore latæ sententiæ, si major sit, contra quem lata est, seu minor, à tempore quo major factus fuerit, peti potest. Sed cum remedium illud sit extraordinarium, non nisi ex urgente causa conceditur, multaque habet singularia & iudicis potissimum officio expeditur. *Vult. d. c. 33. Wesen in parat. ff. de in integri restit.* (g) Hæc est processus contra viris ordinem facti impugnatione, sive sententia ex illo lata, in rem iudicatam transierit, sive non transierit. Deducitur autem nullitas intra annos 30. à die latæ sententiæ vel principaliter vel incidenter. Principaliter, si in petitione dicatur sententiam vel processum esse nullum, eiusque rescissio petatur, absque ulla appellationis mentione, tum si evidenter doceatur nullitas, etiam ante litis contestationem; imò etiam partibus non petentibus, ex officio iudex processum & sententiam priorem nullam esse pronuntiabit. Incidenter autem si appelletur disjunctim hoc modo, dico sententiam nullam esse, et si aliqua est, appello, & tum simultaneo processu nullitas unà cum appellatione seu iniquitate tractari & expediri debet, nisi manifesta nullitas ex actis prioris instantiæ appareat, quæ ratificari nequeat, quo casu nullitas protinus expedienda est. *Vult. d. c. 33. Gail. 1. obs. 20. & 127. Myns. 4. obs. 63 & 5. obs. 91.* (h) quæ est à laudo arbitratoris ad iudicem competentem provocatio Cum autem laudum sive sententia arbitri intra 30. annos in rem iudicatam non transeat, idcirco intra 30. annos à die laudi reductio peti potest, post eos enim amplius non admittitur. *Vult. d. c. 33. Gail. 1. obs. 150. u. 2.*

EPILOGVS.

Et hæc de Actionibus, pro tenuitate mea dicta, hæcenus sufficiant. Nam, non si malè nunc, & olim sic erit. Horat. lib. 2. Carm. od. 10.

FINIS.

LAVS DEO.



181

Faint, illegible text in a single column, possibly a list or index, with some red ink markings.

181-180

181







ULB Halle
004 486 080


3



KOM







B.I.G.

Farbkarte #13

177.

29 /

S. 1672y 6.

GENE-

TIO-

ITIO.

O MEJERO

, J. U. D. Di-

ore, Præceptore

ominibus

IA PATRIA

Novemb. Anno

roponit, &

rgentoratensis,

ATI,

SCHER.

II.

